



**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,  
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

**Fabri, Honoré**

**Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII**

Quæstio 13. Vtrùm Religiosi possint ordinari ante legitimam ætatem à  
Tridentino præscriptam?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)



ad quæ jus Canonicum ætatem determinatam exigat; semper computant à nativitate, & solum disputant, an completa, an incepta sufficiat, quod ex verbis Canonum elucere curant, (et si de matrimonio loquentes latius opinentur nonnulli apud Dianam p. 3. tract. 5. resol. 16. in aliquo casu etiam pro ordinibus: Vide illum 2. p. tract. 2. resol. 29. & p. 9. tract. 9. resol. 50. & Leandrum tom. 2. disp. 6. de Ordine, q. 7.) Nemo autem dubitat, fore invalidam professionem ejus, qui decimum sextum annum completeret ex mensibus, quibus fuit in utero, licet ipsi utilis id esse moraliter certum haberetur. Ergo similiter nec dubitari debet, illicitè promovendum ad ordines, & beneficia, qui annorum numerum à Tridentino requisitum, à conceptione computaret. Quia non tam utilitatem personæ, quàm Ecclesiastici status respicere debemus: sicut & religioni consulimus, quando de ætate ad professionem requisita disputamus. Quapropter Thomas Sanchez in consil. rom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 33. licet contrariæ sententiæ censuram non inuenerit, latissimè censuram placere ibidem ostendit, dum ea opinione propolita, subnectit, \*sed Covarr. 4. Decretal. 2. p. cap. 4. n. 3. dicit, nil hac re falsius dici posse: & P. Joannes Præpositus ubi supra, inquit, \*omni carere probabilitate.\*

17. Ego verò licet eam non amplectar, à censura cum Sanchez abstinco, tum propter fundamenta supra facta, tum ob auctoritatem in Doctorum, qui à principis inter sanctis probabilem sèd dicant. Fuerunt enim viri doctissimi, Doctor Torrexon Primarius sacre Theologiæ Cathedræ moderator, in celeberrima Universitate Complutensi. Reverendissimus P. Fr. Leander à Sacram. diligens scriptor, & suis operibus notissimus, & Magistri alii celeberrimos, quos iustis de causis nuncupare omitto.

18. Verum quamvis prædictæ opinionis praxis nulli sit consulenda; si tamen aliquis, mala fide, ea usus fuisset, deservire poterit ad excusandum illum à suspensione, quia Pius Secundus, qui suspensionem imposuit Clericis suscipientibus ordines majores, ante legitimam ætatem, usus est verbo *Presumpsit*, quod scientiam peccati susceptionis ordinis importat, & proinde non solum bona fides, sed ignorantia etiam excusat, dum non sit affectata, à suspensione incurrenda excusabit; ut docent communiter Doctores, quos citatos sequitur Leander tract. 6. de Ordine, disp. 6. quest. 12. Insuper præfata opinio ei, qui bona fide Præbiteratum suscepisset, computatione ætatis à conceptione facta, deservire poterit, (secundum aliquos) ut semel ordinatus, absque scrupulo celebrare possit, quia ut cum Navarro docet Machado to. 2. Sum. lib. 4. p. 1. tract. 7. doc. 4. n. 6. \*Este tal, estando legítimamente ordenado, tiene derecho de exercitar se en el orden, que recibio, y por configuiente no peca en ello.\* Quorum sententiam probabiliter putant Petrus de Leseña in Sum. m. cap. 7. de orat. vers. La tercera duda, post 1. conclus. Ludovicus de S. Juan quest. 6. de Ordine, artic. 1. diff. 3. & dub. 3. diff. 7. conclus. 3. & alii, qui absolute hanc partem tuerentur, etiam in quacumque ætatis computatione, legitimam ætatem non habeat. Quorum opinio, licet aliàs mihi parum probabilis sit, (quia ejus fundamentum æquè probat de illo, qui mala fide ordinatus suspensionem non incurrit, ratione ignorantie, vel ab incuria per Bullam Cruciatæ absolutus est, quia cum verè ordinatus sit, poterit etiam dici jus habere celebrandi) nihilominus adminiculo alterius opinionis de computatione à die conceptionis, sustineri potest, & ea utentem non damnare.

19. Advertendum verò hic est, Mag. Antonius de Hinojosa in director. decis. Regularum, liti. 6. p. 326. cum Armilla, & Tabiena, contra omnes Doctores, & Ecclesiæ Romanæ praxim, docere sapientem ordines majores ante legitimam ætatem, vel extra tempora, vel sine licetis dimissionibus, incurere suspensionem: putat enim ex Armilla Secundi extravagantem non fuisse receptam. Armilla (inquit) verb. Irregularitas, §. 12. dicit, quod non fuit recepta hæc extravagans. Quorum opinionem subscribendum videtur. \*Sed utique saltem in praxis contraria, & curia stylus evincit, hæc præta constitutio non solum Clericos sacculares sed etiam Regulares comprehendit, ut videre licet apud Barbolam de p. 1. Episc. p. 2. Alleg. 16. n. 25.

## QVÆSTIO XIII.

*Utrum Religiosi possint ordinari ante legitimam ætatem à Tridentino non præscriptam?*

S. I.

Quid de jure antiquo?

1. **C**ertissimum est olim potuisse Quatuordecimtus VIII. dispensare cum toto Ordine Fratrum Minorum, ut postquam viginti annorum ætatem attingerent, dum tamen deficientes sint, possint promoveri ad Sacerdotium, & Missas celebrare, non obstante jure, ex quo contra eum facientibus. Ita refert Dionysius Callag. in Privilegiis Regul. p. 2. tract. 7. prop. 2. subne. 2. ubi se etiam Provinciales Minorum dispensat cum Fratribus sui Ordinis (attende) ut in viginti secundo anno incepto, ad Sacerdotium ascendam, et privilegio Joannis Viginti secundi concessio Conventui domus Chartusæ Sanctæ Trinitatis. Qui concessit: *Ut omnes Monachi, & Clerici domus regis, qui nunc sunt, & erunt pro tempore, viginti annorum ætatem attingentes possint ad Præbiteratum neminem promoveri.* \*Quod quidem privilegium, nulli Prælatorum dispensatione requilita, concessio filius Secundus Fratribus Minoribus cum revocatione juris communis, in Bulla edita anno 1506. quæ incipit: *Dudum ad sacrum Ordinem.* Ubi eis induitur, quod Fratres Ordinis Minorum hujusmodi, in viginti annorum sue ætatis, tunc & pro tempore constituti ad Præbiteratum ordinem, aliàs tamen ritè, se promovendi possint. Quo privilegio omnes alii Ordines Regularium ante Trident. per communicationem imputantur, ut aperte probatur ex Bulla Leonis X. & aliorum Pontificum apud Brunum Callag. tract. 1. cap. 1. fol. 38. Et constat etiam ex his, quæ tradunt Mag. Joannes de la Cruz in Epit. prædictæ cap. 9. dub. 4. Mag. Raphael de la Torre, Lex. canon.onymus Garcia, & alii, apud Dianam p. 10. tract. 1. resol. 49. & apud Leandrum tom. 2. tract. 6. disp. 6. quest. 46. Et est communis sententia, ut cum Rodriguez, Sorbo, & Miranda ait Brunus supra.



## §. II.

*Quid post Tridentinum nonnulli  
sensierint.*

2. Difficultas solum est, an ubi Concilium Tridentinum receptum est, ut in Hispania, hæc modò privilegia subsistant: nam sess. 23. cap. 12. de Reformat. revocata fuisse, tradunt communiter Doctores, ex verbis illis: \*Nullus in posterum ad Subdiaconatus ordinem, ante vigesimumsecundum, ad Diaconatum, aut vigesimumtertium, ad Presbyteratum, ante vigesimumquintum promoveretur, &c. Regulares quoque nec in minori ætate, nec sine diligenti Episcopi examine ordinentur: privilegia quibuscumque quoad hoc penitus exclusis. \*Ex quibus videtur evinci, Regulares post Tridentinum, non posse ante legitimam ætatem, ut supra statutum, ordinari.

3. Nihilominus eisdem omnino privilegiis, quibus ante Tridentinum, Regulares modò gaudere, sunt, qui asserant. Idquæ ex duplici capite. Primo, quia verba illa Concilii: Privilegia quibuscumque quoad hoc penitus exclusis: non sufficiunt, (ut ipsi putant) ad revocanda Regularium privilegia, quod multis suaderet contendit Brunus tract. 2. cap. 5. prop. 4. folio 49. dicens: \*Privilegia Regularium non revocantur per generalem revocationem privilegiorum, licet apponantur verba generalia, & geminata. Privilegium contrarium penitus derogat, & exclusis: constat ex Mari magno Minorum, ex concessione Eugenii Quarti facta Prædicatoribus, & ejusdem Eugenii, & Leonis X. privilegio concessio Benedictinis. Quod non possit derogari illorum privilegiis, nisi de ipsorum ordine, & de hujusmodi litteris fiat de verbo ad verbum expressa mentio. Sic Rodericus cum his, quos citat tom. 1. quæst. Regular. artic. 6. \*Hæc Brunus ubi supra. Varia adducens privilegia, quibus similia verba non habere vim revocandi Regularium privilegia suaderetentat. Secundo, quia Regularium privilegia se habent, ut in corpore juris inserta: hæc autem per illam clausulam non censi revocata, docent plures apud Brunum supra.

4. Tertiò, quia etiam si per Tridentinum fuissent revocata, ut communis sententia tenet, fuerunt postea revalidata à Summis Pontificibus, & ad suam pristinam vigorem restituta, ut docet M. Antonius de Hinojosa ex doctissimo Prædicatorum Ordine in direct. decis. Regul. verbo Confirmatio à folio 121. Quod sic probat. \*Nam licet Pius IV. (qui decreta omnia Trident. confirmaverat) ex certa scientia, & potestatis plenitudine, confirmaverit omnia Fr. Minorum privilegia, cum restrictione; exceptis, scilicet, contrariis Tridentino: postmodum tamen, absque ulla modificatione, confirmavit omnia privilegia Ordinis Sanctissimæ Trinitatis (nimirum concessa Conventui domus Chartusæ) cum quo communicant Ordines Mendicantes, licet ipse non sit de numero Mendicantium. \*Ergo cum Fratribus prædicti Conventus concessum fuerit, ut vidimus, quod vigesimumsecundum annum attingentes ad Presbyteratus ordinem ascendere possint; id modo poterunt aliorum Ordinum Regulares.

5. Suadet insuper idem Hinojosa ex alio privilegio Pii V. Fratribus Prædicatoribus concessio, non vi-

va vocis oraculo, nec pro foro conscientie tantum, quale Fratribus Minoribus concesserat, (de quo Henriquez lib. 6. cap. 6. num. 6. & in Glossa, lit. R. sed Motu proprio, & absque ulla restrictione. Verba ejus sunt: \*Pius V. vivæ vocis oraculo Fratribus Minoribus omnia prædecessorum privilegia, absque ulla restrictione, vel obstantia Concilii Tridentini, in foro conscientie tantum, concessit die 13. Martii, anno 1578. Et idem Pius V. Motu proprio anno 1570. die 12. Januarii, de novo concessit Ordini Prædicatorum omnia privilegia à suis prædecessoribus indulta, & voluit pro expressis haberi; Non obstantibus aliis quibuscumque Apostolicis, necnon Provincialibus, Generalibus, vel specialibus constitutionibus. \*Ex quibus, inquit, constat, nos reductos ad pristinum statum, quo ante Concilium Tridentinum, privilegiis nostris, in amplissima forma, potiebantur. Quia de novo conceditur, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus generalibus, vel specialibus Apostolicis. \*Et insuper aliam refert concessionem paulò infra dicens: \*Idem adhuc Pius V. die 27. Septembris, anno 1571. omnia, & singula privilegia, indulta, concessionem, prærogativas, & alias quascumque gratias Ordini nostro (Prædicatorum) & ejusdem pro tempore existentis Ministro Generali, Fratribus, ac Monialibus, approbavit, confirmavit, innovavit, omniaque & singula perpetuum obtinere firmitatem, absque ulla restrictione, decrevit. \*Hactenus Mag. Hinojosa. Exrat etiam alia Bulla Pii V. prius edita anno 1567, in qua non solum confirmat, sed de novo concedit omnia, & singula privilegia Mendicantibus à suis prædecessoribus concessa, ibi: \*Necnon privilegia, facultates, indulta, favores, & gratias tam temporales, quàm spirituales, &c. modo, & forma etiam per viam communicationis, & extensionis, activæ, & passivæ inter se, & alios quoscumque ordines respectivè, de novo concedimus, ac si de verbo ad verbum, nullo penitus omisso exprimerentur. \*Sic refert Quintanavennas tom. 1. sing. tractat. 3. sing. 17.

6. Quapropter Regulares modò posse ordines suscipere ante ætatem à Tridentino præscriptam, tradit expressè cum aliis Brunus Cassalug. ex Ordine Minorum de Privileg. Regul. 2. tract. 7. cap. 2. prop. 2. Quod probat ex privilegiis præfatis Innocentii VIII. Joannis Vigehimisecondi, & Julii Secundi, nuper adductis. \*Ex quibus, inquit, manifestè patet, Fratres Minores, qui etiam in hoc ultimo privilegio (Julii Secundi pro Fratribus Minimis) participant, & consequenter alios, habere facultatem dispensandi super ætate constituta à jure ad ordinem Presbyteratus, Diaconatus, & Subdiaconatus suscipiendos. Confirmatur, quia ante Tridentinum Prælati poterant suos subditos dispensare, & facere, ut assumerent Subdiaconatum in decimo octavo anno, Diaconatum in vigesimo, & Presbyteratum in vigesimosecundo completo, ac etiam in vigesimosecundo inchoato: ergo etiam nunc, illa facultate uti possunt, cum illud privilegium sit validum etiam post Tridentinum, ubi illud receptum est. Ac sic tenet Emanuel Sà, verb. Relig. num. 56. Christophorus à Cap. Font. proximè citatus, & ut advertit Portel, subscribere debent Rodericus, Henriquez, & Sorbus. \*Sic Brunus. Bullam aliam Urbani VIII. refert Mag. Acacius de Velasco tom. 1. verb. Absolut. resolut. 7. ex qua sic infert: \*De lo dicho se infiere manifestamente, que están oy todos los privilegios de los Regulares (aun los revocados per los Pontifices) de nuevo confirmandos, y puestos en la misma fuerza, que tenían antes, que los revoca-



ran, y revalidados de nuevo por la Santidad de Urbano Octavo.\*

7. Ex his auctoribus, expressè id tenet Sà ubi supra, & Hieronymus Sorbo in *Compend. Privileg. Mendic. tit. Dispensatio, num. 15.* qui asserit modò vigere privilegium Innocentii VIII. quo concessit, ut Generalis, vel Provincialis Ordinis Minorum possit cum Fratribus sui Ordinis, completo anno vigesimo secundo, ad Sacerdotium dispensare. Quamvis autem ex privilegio Joannis XXIII. & Julii II. concessis Conventui domus Chartusie, & Fratribus Ordinis Minorum, ut in 22. anno inchoato, nulla requisita Prælatorum dispensatione, possint Fratres Minorum per communicationem privilegiorum, in supra dicta ætate ad Presbyteratum ascendere, tamen in Capitulo Generali Burgenfi 1. cap. Statutorum prohibentur, nisi quibusdam circumstantiis concurrentibus auctoritate Apostolica adhibitis, ut notat Brunus supra: statuti verba sunt. \*Ad Sacerdotium non promoveatur quis antequam 25. annum ætatis suæ attigerit, & quantum Religionis, nisi Minister Provincialis cum consilio discretorum aliter judicaverit faciendum. Cui statuto Fratres Minores extra Galliam, & Hispaniam stare debent. \*Hujus statuti meminit P. Vazquez tom. de Eucharist. disput. 246. cap. 4. num. 43. adnotatque concessionem Innocentii VIII. factam fuisse vivæ vocis oraculo, & privilegia sic concessa à Capitulo Generali suspendi posse, ac proinde prædictum privilegium limitatum fuisse in Capitulo Burgenfi, quam limitationem pro toto ordine ubique terrarum factam supponit. Sed de his alii. Nobis sufficit adnotare privilegia supra excerpta Joannis XXII. & Julii II. & Pii IV. non vivæ vocis oraculo, sed Bullis specialibus fuisse concessa Ordini Minorum, & Conventui Chartusie SS. Trinitatis, quibus per communicationem, (si modo subsistant) Minores etiam uti poterunt: si solum concessionem vivæ vocis oraculo factæ à Capitulo Generali suspendi possint; & hæc de qua loquimur, absque recursum ad Sedem Apostolicam, suspensâ fuerit; ut supponitur.

8. Insuper, quod Regulares modò possint ætatem à Tridentino præscriptam ordinari, virtute concessionis Pii Quarti, supra num. 4. memoratæ, confirmantis, absque ulla modificatione, omnia privilegia Conventus Chartusie Sanctissimæ Trinitatis; probatur auctoritate Doctorum celeberrimæ Universitatis Salmantina, quam adducit M. Hinojola ubi supra his verbis: \*Hæc confirmationis Bulla ostensa, tunc Academiæ Salmantina affirmavit DD. tum Theologi, tum utriusque Jurisprudentes, posse Mendicantes vi hujus privilegii, non obstantibus recentis Concilii decretis, uti omnibus privilegiis sibi jam dudum concessis. Et hæc subscriptio cum authentico præfatæ Bullæ servatur Mexici Indiarum Occidentalium, in Collegio S. Pauli Augustiniano. Hoc stante (inquit) stetit videntur integra nostra privilegia, ac in antiquum robur restituta, in Pontificatu Pii Quarti, cui successit Pius V. \*Hactenus M. Hinojola, qui ut supra vidimus, ex Motu proprio Pii V. omnia sui Ordinis privilegia antiqua, & per Tridentinum revocata, in suo etiam robore nunc existere, modicus affirmat.

9. Nec contra superius dicta militare putant Bullæ Gregorii XIII. quæ incipit in tanta rerum mole edita Kalendis Martii, anno 1573. reducens ad terminos juris communis, & Concilii Tridentini tres constitutiones à Pio V. pro Ordinibus Mendicantibus, aliisque rebus editas. Primo, quia Gregorius XIII. non revocavit constitutionem Pii Quarti adductam. Secundo, quia valde dubium est, ut solum videretur revocare constitutiones alias memorat. Tertio, quia non revocat vivæ vocis oracula. Quia oracula non dicuntur constitutiones, ut Henríquez; & revocatis privilegiis, non intelliguntur oracula revocata, nisi in specie revocentur, ut cum pluribus tradit Mag. Hyacinthus Donatus in tract. 11. de Confirm. privileg. quest. 17. numer. 17. fol. 10. Unde, saltem pro foro conscientie, videntur privilegia Minoribus concessa, & postea per Bullam apostolicam confirmata, posse Regulares uti (sui privilegii per Tridentinum revocatis, tradit Henríquez lib. 6. cap. 6. litt. R. & lib. 7. cap. 2. n. 8.).

10. Insuper efficacius intentum hoc habetur. Quia hæc Bulla Gregorii XIII. non fuit promulgata, aut saltem non fuit Regularibus intimata, præter Navar. in Manual. cap. 27. in fine. Cui concordant Peyrinus, Henríquez, Thomás Jese, & Henríquez de Llamas, apud Dianam p. 3. tract. 2. rescript. 10. Item Rodericus, Sorbus, Medina, Portel, Cordero, Augustinus de Bellis, & alii, quo citatos loquitur Brunus Cassing. tom. de privilegiis, tract. 11. cap. 5. p. 1. fol. 50. Ergo Bulla Gregorii XIII. obstat, non potest.

11. Denique difficultas ex hoc capite obijci dicitur, quia licet præfatæ Gregorii XIII. Bulla promulgata fuisset, & recepta; tamen postea Gregorius eam revocavit, confirmando privilegia Minorum amplissima confirmatione, cum clausula derogatoria suæ antedictæ constitutioni, & aliorum prædecessorum, quæ eorum privilegia obstat possent, sub datis die 25. Maji, ann. 1573. in Bulla quæ incipit *Ex benigna*, cujus clausulam derogatoriam ad verbum refert Brunus ubi supra fol. 4. p. 1. in fine. Quapropter dum aliunde non evincatur, privilegia antiqua Regularium per Tridentinum revocata, nunquam fuisse restituta, & saltem præfata allegationem Antonii de Hinojola, quoad Bullam Pii Quarti, & Pii V. difficile satis videretur, opinionem Bruni, pro ordinandis Regularibus ante ætatem Tridentino præscriptam, improbare.

## S. III.

## Judicium Auctoris.

12. Verumtamen suffragium illi ferre, nec उपbabili, possum. Tum quia non est in Bulla apud Regulares, quem sanè non amisissent, si ipsos fixum non esset, præfatum privilegium non esse post Tridentinum: tum quia Bullæ allegatæ à Pio Quarto, & Pio V. quibus præcipuum, immo, etiam præfatæ opinionis fundamentum, immo, non extant in Bullario: (semel enim, & iterum evoluto, non reperio) Tum quia Doctorum, qui modò disputant, an post Tridentinum privilegia Regularium ei contraria subsistant: non inter se gunt pro foro externo, sed pro solo conscientie foro. Hanc enim restitutionem fecisse Pium V. vivæ vocis oraculo Fratribus Ordinis Minorum, constans est apud Theologos, & passim ita referuntur illa verò Bulla Pii Quarti, & de Motu proprio



prio Pii V. ab Hinojosa allegatis, pauci pro foro externo suffragari meminerunt. Insuper restitutionem privilegiorum Regularium à Gregorio XIII. factam, (de qua Brunnus ubi supra) P. Vazquez, ex declaratione sacre Congregationis Concilii, asserit, pro solo conscientie foro factam fuisse. Vide illum tom. de Eucharist. disputat. 246. cap. 4. num. 43. ibi: \* Ut restantur Cardinales Congregationis Concilii Tridentini, postea idem Greg. XIII. hæc privilegia Mendicantibus contra Concilium Trident. restituit in foro conscientie. \* Sic Vazquez, cui consonat Henriquez lib. 6. cap. 10. litt. B. dicens. \* Quidam Regulares habent confirmatum post Concilium Trident. privilegium de supplemento ætatis, & fruuntur pro foro conscientie privilegiis per Tridentinum derogatis, ut concessit Pius V. sup. cap. 6. litt. R. \* Quod tradit etiam P. Sà, verb. Relig. num. 56. dicens: \* Pius V. voluit Mendicantes uti gratis suis, & privilegiis in foro conscientie, non obstante Concilio Tridentino. Et quamvis ejus Bullam, ubi eis multa concessit, revocaverit Gregor. XIII. tamen postea revalidavit, ut testatur Congregatio Concilii. \* Hæc ille.

13. Non inficior Patrem Sà inde deduxisse: \* Quarevidentur posse ordinari ante legitimam ætatem, \* cui favet Henriquez supra, dum concedit habere confirmatum post Tridentinum. \* Privilegium de supplemento ætatis. \* Hæc tamen doctrina, si pro solo conscientie foro, Regularium privilegia sint restituta, difficilis visa est Patri Vazquez ubi supra n. 44. & Dicastillo de Sacram. Ordinis, tractat. 6. disput. 1. dub. 21. num. 302. Nam absque litteris dimissoriis, nullus Regularis ordinari potest, cum autem in illis veritas exprimi debeat, nequibit Provincialis testificari, subditum habere legitimam ætatem ad ordines; cum hoc falsum sit, & in privilegio non concessum, quia nequit intelligi privilegium, ut falsitas in litteris contineatur. Si verò Regularis, veritate expressa, ordinari posset virtute hujus privilegii, jam illi suffragaretur in foro externo, contra id, quod supponimus. Sic authores citati discurrent. Cæterum, si aliunde præfata sententia improbanda non esset, his facile occurrere posset cum Doctoribus aliis, qui, admissa privilegiorum restitutione, existimant ad ordines etiam suffragari, & litteras dimissorias veritatem continere, si superior testetur, habere legitimam ætatem, quia legitima est pro Regularibus; quam Pontifices ex privilegio talem admittunt, quamvis non attingat ætatem jure communi à Tridentino requisitam. Quapropter illam non improbat P. Vazquez ubi supra; nonnullos pro ea militare, suppresso nomine, referens.

14. Sed ut omnis opinandi aditus præcluderetur, novissimè proditi decretum sacre Generalis Inquisitionis Romanæ, in quo Sanctissimus noster Alexander VII. die 18. Martii, anno 1666. prohibuit, ut scandalosam hanc propositionem, \* Regulares possunt in foro conscientie uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per Concilium Tridentinum. Unde à posteriori aperte intelligitur, privilegia ejusmodi, quæ aliquandò fuerunt revalidata, fuisse tamen postea pro utroque foro revocata. Ac proinde modo improbabile prorsus esse, ordinari posse Regulares ante legitimam ætatem. Et ut refert M. Donatus p. 1. tract. 12. de Confirm. privil. quæst. 17. sol. 134. n. 23. jam erat in specie expressè probatum à Sixto V. anno 1588. constit. 91. quæ incipit Sanctum, & salutare, folio 65r. Bullarii. Quod iterum repetit p. 3. tr. 11. fol. 196. cui prohibitioni absque dubio innititur censura Alex. VII.

15. Addit tamen Donatus ibidem, esse probabile, Regulares quoad forum conscientie, & quietem animarum subditorum posse uti privilegiis à Concilio revocatis. \* Quoad absolvendum à censuris, & dispensandum in irregularitatibus contractis. \* Sed post præfatum Alexandri VII. decretum, hoc dici non potest: & ipse sibi non constat, quia tom. 4. tract. 3. quæst. 17. ait, oraculum Pii V. sub anno 1566. die 13. Maii, quo declaravit, Patres Minores in foro conscientie posse uti omnibus gratis, & privilegiis per antecessores Pontifices sibi concessis, etiam quoad illa, quæ fuerunt abrogata per Concilium Trid. fuisse per Sixtum V. revocatum in constitutione prædicta, quæ incipit: Sanctum, & salutare. Quam revocationem Clemens VIII. confirmavit, anno 1595. in constitut. quæ incipit: Romanum Pontificem. Quibus omnino standum est: ergò opinioni contrarie nulla in posterum remanet probabilitas, maxime post decretum Sanctissimi nostri Alex. VII. nuper adductum, quo præfate revocationes privilegiorum, etiam pro foro conscientie nobis innotescunt, quas ipse confirmavit, dum opinionem Theologorum contrarium asserentium, ut scandalosam damnavit, prohibuitque.

## QVÆSTIO XIV.

*Utrum ad incurrendum impedimentum criminis dirimens matrimonium, notitia impedi-  
menti requiratur?*

### §. PRIMUS.

*Premittuntur nonnulla.*

1. **C**Rimina, quæ matrimonium subsequens dirimunt, possumus ad duo reducere. Primum est adulterium cum machinatione mortis alterius conjugis, effectu subsequuto. Secundum est adulterium cum promissione de contrahendo post conjugis mortem, vel cum contractu matrimonii de presenti cum adultera.

2. Ad contrahenda ejusmodi impedimenta aliqua conditiones requiruntur, ut videre licet apud Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 78. & 79. in quibus assignandis Doctores non conveniunt, sed in opinionibus dividuntur: verb. grat. An incuratur impedimentum criminis, quando uxor occidit maritum ad contrahendum cum adultero? Quod negant M. Victoria, M. Petrus de Ledesma, & alii, sed contra communem Doctorem. Quia leges non magis probant de marito occidente uxorem, quam de uxore occidente maritum. Item, an sufficiat, absque adulterio mortis machinatio, quando non solus conjux alterius conjugis mortem machinatur, sed alter etiam cum quo est contrahendum? Negant nonnulli asserentes, hoc impedimentum absque adulterio nunquam contrahi. Sed hoc etiam est contra communem, quia quando uterque machinatus est mortem, non requiritur adulterium, sed quando alter tantum, ut ex variis juribus deducitur. Item, an conjugis interfectio requiratur fieri ex intentione contrahendi? Quod desiderari ad contractionem hujus impedimenti, negant Cajetanus, Petrus de

Pp 4

Soto